



hilos.

20

ASSERTIONES

DE

IODIS PHILOSOPHICIS,

PROPOSITÆ

PUBLICÆ DISPUTATIONI,

IN

CATHOLICA ET CELEBRI

ACADEMIA DILINGANA,

PRÆSIDE

ISAIA MOLITORE, SOCIETATIS IESV,

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

ORDINARIO.

Defendente

Guilielmo Ignatio Schütz Mar-
chio-Badensi, Metaphysicæ ac Moralis
Theologiæ Studioso.

Ad X. Cal. May ANNO VIRGINET PARTVS

M. DC. XLIV.

Cum facultate superiorum

DILINGÆ

Typis Academicis.



ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

GVILIELMO

MARCHIONI
BADENSI ET HACHBERGENSI,

LANDGRAVIO

IN SAVSENBERG,

COMITI

IN SPONHAIM ET EBERSTAIN,

DOMINO

In Röttlen, Badenvveiler, Lohr & Mahlberg &c.

PRINCIPI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



Hilosophis testibus punctum Celi Terra est, Princeps Illustrissime, in orbe magno parvum, magnum in suo, tantumq[ue] et navigatione vel trienni circuiti vix possit. Philosophia mihi perinde punctum Sapientiae est, in Dstuina ac Aeterna modicu[m] in Humana vastum, cui emetendo trieteridem Peripateticis definiti, tempus pro amplitudine exiguum, pro multorum fastidio prolixum. Illius et ego navigationis ambitu[m] ingressus nunc portum specto: Et hoc punctum et certius tangam, proprio mihi Sidere, sine quo vel in portu naufragari possem, opus esse video; quod et mihi proximam esset, Illustrissimus

Tuæ Celsitudinis fecit Radius, ita in me, meosq[ue] Serenus semper ac liquidus, et et parum gratae, et multum incitatè agerem, si ad aliud Astrum mea fortuna auspicias assenderem. Vix etenim hanc lucem ingressus fui, cum Solis tui clementiam sensi, Patrinus baptizato esse dignatus es, Et scirem ubi Patrem reperirem, si meum amitterem; Tutelam en me Tuam in cunis sanxisti, ne ququam indefensus essem, eoq[ue] certius in Tuas incumberem curas, quo Tua Celsitudo potentius iuuare possit, benevolentiusq[ue] vellet. Quid il lud memorem, cum patrem meum tam honorificò ornasti Prefectura, non in Tuum servitium, sed nostrum beneficium, Et pariter esset, Unde velsificaremur dignitas, et consuleamus utilitatis. Et et in hoc saltem modum non excedam, alia, eaq[ue] summa censere Beneficia Tua supersedeo, dum sine modis in arenam descendere paro, cuius pugna si Illustrissimus Fauor Tuus aspirauerit indubiam polliceor mihi palmam: eum promde et Clementissime impertas, enixe precor, ac porrò obtestor Superos, ut Celsitudinem Tuam dantissemme Tuis, mishi, meisq[ue] seruent, suspirant. Dilingo XLV. Cal. Mai. Anni M.DC.XLIV.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Univ. Bib.
München

Clementum insimus

Guilielmus Ignatius Schütz

ASSERTIONES PHILOSOPHICÆ.

NEcessitatem Modalium entitatum admittendarum pleriq; hodie tantam esse censem, ut sine ijs multas Philosophicas difficultates defendi non posse arbitrentur; imo nonnulli illorum assertiones Amodistarum, velut Auctoritate & Ratione destitutas, ex quo grauioribus censuris traducant, & qui mutius loquuntur, capti difficiles esse velint. His ergo thesibus, academico certamini publicè subiectis, viri nq; veritatem experiri libuit, simùlq; ex proprijs potissimum Modistarum concessis, atq; responsis ostendere, quomodo iuxta eadem consequentius, & facilis quæstiones Modisticæ sine modis superadditis dissolvi possint.

Relatio Prædicamentalis.

MOdum esse volunt Mure. hic q. 5. Rub. q. 14. & bi alijs pro se citant; quorum tamen aliqui tantum formalem, & nonnulli absolutè realem distinctionem ipsi tribuunt. Strictè realiter distinguit Compl. hic q. 5. n. 56. hancq; opinionem assérunt frequentiorem esse Thomistarum, cámq; Capr. Caset. & Ferrar. & antiquis ferè S. Tho. assēcis Fons. quoq; lib. 5. metaph. c. 15. q. 2. sect. 3. & Suar. diff. 47. metaph. sect. 2. n. 2. adscribunt. Et notant Compl. n. 57. relationem, licet sit entitas absoluta, à DD. modum vocari, eo quòd sola substantia proprieens appelletur.

Formaliter ante omnem operationem mentis Relationem à suo fundamento distingui docent Iau. 5. metaph. q. 22. & Sotus hic q. 2. Vall. hic q. 3. c. 12. Idem reipsa Fons. loc. cit. sect. 5. sentire videtur; quamuis aliquæ eius probationes etiam strictè realem distinctionem euincant.

Ratione ratiocinata èam à subiecto proximo differre tenent *Nominales apud seqq. eut. Suar. loc. cit. n. 22. Lor. in prædic. q. 4. Smig. diff. 10. q. 3. Heru. in 1. diff. 3. c. art. I. Mendoz. diff. 15. metaph. sect. 2. Arr. diff. 12. Log. sect. 5. Outedo Controu. 9. metaph. pun. 4. n. 19. & plures ab his adducti.* Inter quos tamen hoc dis^trimen est: quod Mend. Arr. & Outedo Velini Relationem esse quoddam concretum accidentale, quod fundamentum in recto, & terminum in obliquo, tamquam partes sui compositiūas, imo, &t Outedo addit, ipsam quoque rationem fundandi sic innoluat. Suar. autem & alij cum illo doceant, Relationem prædicamentalem esse formam aliquam realem, & intrinsecè denominantem proprium relatiūm, quod constituit.

ASERO 1. Relationem prædicamentalem à fundamento non distingui modaliter, sed hoc, & loquitur Aristot. 5. phys. tex. 10. non subiens mutationem vere dici posse ad aliquid, altero tantum, nempe termino, mutationem subeunte; vnde etiam ibidem motum ad relationem dari negat. Cui & s. Tho. in cum text. lect. 3 consentiens, nihil inquit, mihi aduenit de nouo per hoc, quòd incipio esse alteris equalis per eius mutationem. Est enim, vt inquit in 1. diff. 30. q. 5n. a. 1.c. relatio nihil aliud quam habitudo vnius ad aliud; vnde ibid. diff. 26. q. 2. a. 1. ad 3. ait: quamuis altero mutato adueniat vel recedit fundamento respectus actualis sine sui mutatione, non tamen radicaliter siue causaliter, quia in eo adhuc manet quantitas, ratione cuius alteri non immutato & qualis

effet. Sic & Deus in tempore acquirit relationem Creatoris, Gubernatoris &c. absq; eo vt noua illi entitas in trinsecè superaddatur, per solam creaturæ actualē positionem.

ASSERO 2. Hanc Relationem à suo subiecto proximo distingui formaliter, seu proprium ab eo diuersum esse habere, quod subiectū, ex se absolutum ordinat, ad aliud, & respectuum facit; & hoc quidem ante operationem intellectus, cum ab hac non dependeat, vt duo v. g. muri albi sint similes, aut duo homines idem; ita tamen, vt illud esse non habeat completam distinctionem à fundamento, sed eius adæquata distinctio à præcisione formalis dependeat: perinde namq; vt triplex Scientia Dei distinguitur, quarum Media, iuxta vetiorem Theologiam, ad Scientiam Simplicis Intelligentiae reuocatur, nec adæquatam distinctionem scientiam constituit; sic & triplex distinctio admitti posse videtur, quarū duæ sint extremæ, Realis scilicet & Rationis, & una media Formalis, eo quod licet omnis Formalis ad alteram extremam Rationis renocetur, tamen non vicissim omnis distinctio Rationis sit etiam Formalis, cum hæc tantum sit inter ea, que diuersam essendi rationem important. Hoc modo distinctionem ex natura rei à quibusdam RR. acutè & probabilitate explicari Albert. de Predic. relat. q. 12. dub. 1. n. 9. docet, & talem formalem distinctionem inter motum, actionem, & passionem intercedere, Compl. dīsp. 17. phys. q. 2. n. 13. cum pluribus Thomis est, affirmant.

ASSERO 3. Relationem prædicamentalem non esse concretum quoddam accidentale, vtrumq; extrellum tamquam partem sui componentem inuoluens: quia tota essentia relationis est referre ad aliud, quo nomine etiam hoc prædicamentum à Philosopho inscribitur; at verò si eius essentia ab utroq; extremo constituitur, ad quid referet? vel enim fundamentum referetur ad terminum per aliquid relationis huic inexistens; at hoc quomodo in relationibus non mutuis, quas Aristot. 5. metaph. c. 15. admittit, sicut? vel referetur ad illum per respectum sibi soli inexistentem, & sic non erit accidens concretè sumptum: aliud namq; estens relatiuum, & aliud relatio. Et hic respectus prædicamentalis quomodo mutuus esse potest, quando in utroq; extremo tantum est unicus? quomodo terminabitur ad absolutum, quando ex utroq; vt respectivo conflatur? si enim unius extremi habitudo sola negatur esse relatio, nec sola huius essentiam habere poterit.

ASSERO 4. Rationem fundandi non posse magis ingredi conceptum quidditatum relationis, quam apprehensio ad causam & effectum finalem se habeat, adeoque; nullatenus intrinsecè relationem cōponere; id quod inde evidens est, quia ratio fundandi in secundo genere sive transiens est, & destruitur, relicta ac permanente adhuc relatione: generatio enim hominis v. g. est actio transiens, & tamen pater suum filium quam talem, quamdiu superstes est, prædicamentaleriter respicit. Nec ad relationis essentiam intrinsecè constituendam sufficere potest, eam rationem fundandi aliquando extitisse; alias pari iure dicere liceret, relationem destructio quoque termino manere posse, si illa non minus quam iste relationis essentiam constituat.

ASSERO 5. hanc Relationem esse accidens quoddam metaphysicum, seu rationem quamdam formalem subiecti, quā istud cum altero idem vel diuersum, simile vel dissimile, æquale vel inæquale reipsa constituitur; sicut s. Tho. opusc. 48. tr. 5. c. 2. ait: si militudo Sortis solum est ipsa eius albedo, Et se habet ad albedinem Platonis. Et ad terminum. adeoque; tota eius essentia est in fundamento, que tamen cum essentia respectiva sit, actualitatem suam non acquirit, nisi ad positionem termini, quem actu respiciat; velut globus perfectè sphæricus in se commensurabilitatem habet, vt planum in pun-

cto tan.

Actualem tamen contactum, à sua entitate non nisi ratione ratiocinata distinctum, non exercet, nisi planum ipsi sit applicatum.

ASSERO 6. licet tota Relationis essentia subiecto identificari ponatur, inde tamen neutiquam sequi, quod illa sublato etiam termino tota actu adhuc manere possit; nam iuxta communissimam, etiam Mend. & Ovise sententiam (prout infra DD. citabimus) Duratio ab existentia rei non distinguitur realiter, nec tamē certa durationis esse formale actu habet, nisi actu tanto temporis fluxui coexistat; quia ante coexistentiam termini non est actu durans aut relatum, sed tantum potens per suammet entitatem durare aut referri; quod posse exinde in actu transit, si terminus actu ponatur, & rursus ex actu in posse recidit, si terminus actu subtrahatur: quando enim, inquit Ockam. in 2. sentent. q. 2. aliquod nomen significat unum principaliter, & alterum consignificat, tunc de struendo connotato, aut aliter se habente, quam terminus consignificet, nullo also in principali destruendo, adhuc nomen nec principale denominabit. Et hanc Ockami doctrinam merito Eck. 1. phys. q. 8. dub. 3. auream appellat regulam, quam si plurales, inquit, aduertentes, non ita multiplicarent res propter inceptionem aut desitionem predicandi ista nomina connotativa de aliquo. Similia repetit 3. phys. q. 2. art. 1. vbi cum Ockamo reali motu à suo termino distinctionem negat.

ASSERO 7. Relationem positio, ac destruendo termino non actuari in fundamento, ac desinere tamquam ens physicum, sed tamquam logicum ac metaphysicum, cum etiam huiusmodi accidentia dentur, quæ saluā subiecti substantia ijs abesse & adesse possunt, vt docet Suar. diff. 32. metaph. sett. 1. n. 23. illudque tantum denominatiue afficiunt, & ad alterius positionem exurgunt. Et hoc ipsum illi quoque affertere debent, qui relationem ex utroq; extremo componunt: cum enim dicant hanc partim esse in uno, partim in altero, consequenter admittere coguntur, id quod relationis est in fundamento, ad positionem termini primi suo modo fieri, ac per istius destructionem corrumphi, cum prius non fuerit relatum, nec termino subtracto relatum maneat, sed tantum entitas referibilis fiat.

ASSERO 8. questionem esse de nomine, num terminus sit intrinsecus Relationi, nec ne: si enim omne id intrinscum appellare velimus, sine quo alicuius esse nec consistere, nec concipi potest, affirmandum est, cum in omnium sententia relatio praedicamentalis terminum actualem requirat; si vero per intrinscum id tantum intelli gamus, quod est pars illius esse composita, seu praedicatum essentiale rei, negandum, quia tantum terminatus, non compositus formale relationis esse constituit: Acut obiectum essentialiter suam terminat potentiam, cuius tamen non est pars essentialis compositionis; & modalis entitas iuxta Adu. essentialiter respicit sua extrema actua, nec tamen haec illam componunt. Ideoque bene aduertit Albert. de predic. subf. diff. 3. q. 8. n. 3. hanc regulam tantum in absolutis, non in relativis procedere, vt aliquid ab eo dicatur intrinsecè constitutum, sine quo nec esse, nec concipi potest; unde ad ambiguitatem tollendam ly intrinscum in compositionem & terminatum distinguendum videtur.

Vnio.

Modaliter eam distinguunt Suar. diff. 13. metaph. sett. 9. n. 13. Vaf. q. 3. p. diff. 19. n. 13. Oviedo controu. 4. phys. pur. 1. n. 19. Rab. q. 6. de forma Mure. diff. 3. de caus. q. 5. Compl. diff. 6. phys. q. 3. Mend. diff. 3. phys. sett. 5. Arr. diff. 4. phys. sett. 2. & RR. commi ser.

ter. Sed in eius subiecto assignando admodum variant: nam Mend. & vult duas esse Uniones partiales, quarum una sit in materia, & altera in forma; & hoc in anima rationali sit spiritualis. Suar. hanc rem dubiam esse afferens, eam cum Vasq. in sola collocat formam, & in homine quidem spiritualem; Rub. Marc. Compl. & Oviedo in sola materia subiecta videntur; & ad formam intrinsecè terminari, quod teste Arriag. loc. cit. sect. 3. n. 1. 8. difficulter intelligitur & explicatur, sed quod & Suar. in 3. p. disp. 8. sect. 4. fatetur; Arr. ibidem & nam simplicem esse afferit, ex & trax parte eductam, materialem etiam in homine; quidam RR. docent in materia esse substantiam, & in forma receptionem. Unionem diuinitatis creari posse Vasq. 1. p. disp. 174. n. 17. & Marc. loc. cit. negant, Suar. arr. Mend. Oviedo & alij concedunt. Causam illius productiuam arr. I. de Gener. sect. 6. assignat animam matrem, & refutat eos, qui propriam animam sua Unionis causam esse volunt; Conimbr. I. de Gener. c. 4. q. 13. a. 2. generanti adscribunt, in quantum mediante virtute seminalis agit; Suar. disp. 15. metaph. sect. 6. n. 9. in eam opinionem inclinare videntur, quod a solo DEO efficiatur, atque satis incertum esse, a quo ex predictis tribus fiat.

Medium, ab extremis realiter distinctam, esse negant. Aristot. 4. phys. tex. 23. 2. de Ani. c. 1. & 8. metaph. c. 5. sicut ipsum in hanc quoque sententiam citant, atque sequuntur. 8. Tho. I. p. q. 76. art. 7. c. 8. cot. 8. metaph. q. 4. Eck. I. de Gener. 9. 2. art. 1. nos. 2. & art. 4. ad 2. Fons. 5. metaph. c. 2. q. 13. sect. 2. & 3. Conimbr. I. phys. c. 9. q. 11. art. 2. Sic & S. Thomam loc. cit. pro hac opinione stare testantur Conimbr. loc. cit. Val. Tom. I. disp. 6. q. 2. pun. 4. Caiet. I. p. q. 76. ad 6. Aluar. 3. p. q. 2. art. 3. disp. 13. n. 9. & 12. & ex Modistis Suar. disp. 15. sect. 6. n. 2. vbi n. 3. addit, Scotum praeferunt hoc sentire; id quod & Oviedo controu. 4. phys. n. 2. ac Albert. de predic. substant. coroll. 4. dub. 1. n. 6. & disp. 4. de Unione q. 1. n. 4. ipsi attribuunt. Eamdem amplectuntur Philipp. I. phys. tex. 17. Perer. 6. phys. c. 4. q. 4. Smig. disp. 11. Log. q. de Passione. VVading. de Incarn. disp. proœm. dub. 2. Ferrar. cont. gent. c. 37. Caiet. Greg. Gabr. & Nomin. a Mend. disp. 5. phy. sect. I. n. 6. & plures ab alijs cit. Alvarez quoque loc. cit. referente Tanner. Tom. 4. disp. I. q. 3. dub. 4. n. 84. inter Thomistas (sustemporis) communem esse afferit. Et hanc sententiam latis celebrem esse, atque a grauibus RR. teneri. Albert. loc. proxime cit. restatur; & Mend. disp. 21. de Incarn. sect. 2. subsect. 2. fatetur ab ijs consequenter defendi, quirelatiōnē per solam termini connotatiōnē explicant. Unionem autem continuatiuam partium homogenearū realiter diuersam ex ipsis quoque Modistis inficiantur. Faf. I. p. q. 7. art. 1. dub. 7. & q. 13. art. 1. dub. 6. Tann. I. p. disp. 2. q. 4. dub. 2. n. 23. Amic. Tom. 2. disp. 9. n. 180. Alberti. in predic. quant. disp. 3. q. 6. & plurimos alios citat; id quod etiam Fons. 5. metaph. c. 13. q. 6. sect. 5. ad 1. expresse docet.

ASSERO 9. in tanta Modistarum diuersimode sentientium varietate, ac difficultate expeditius videri, ac probabilius, unionem ab extremis realiter non distinguere, sed eam in mutuo quodam, quem materia & forma ab intrinseco ad se inuicem habent, respectu collocare, eo quod illa sit potentia, hæc vero actus, & ista naturaliter produci nequeat, nisi illa iam sit determinata, adeoque non amplius indifferens ad eam actu habendam, prout Doctissimus Pererius, qui cursum philosophicum docendo quartum absoluuit, loc. cit. assertit; & Græcorum, & Arabum, & Philosophorum, & Medicorum, & plurimorum Theologorum esse opinionem, nullam formam substantialiem immediatè vniuersi posse materiam, nisi prœijs formis accidentarijs; quæ potentiam materiam ex se ad omnes formas indifferentem determinant, & ad unam aliquam potius, quam ad aliam accommodant. Nec in hac assertione ylla habetur difficultas, quam non quiui solue-

re debeat, qui ostendere nequit, quòd implicet materia ad vnam numero formam ita ex se determinata, vt aliam absolute habere nequeat, nec ista aliam materiam informare possit; quo casu iuxta Modistarum principia hæc duo scip̄is vniuentur.

ASSERO 10. Sicut *iuxta 8. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. c.* materia ad certam formam substantialiæ per accidentia communia ex Naturæ determinatione disponitur, etiamsi hæc non immediatè in illa, sed in quantitate subiectentur; ita ab ipsis quoq; intrinsecè éadem vi determinatur, vt naturaliter illius speciei formam substantialiæ recipere debeat, cui ea accidentium temperies ex ordinatione Naturæ est assignata; nec talis forma abesse possit, ne priori formâ, cum suis dispositionibus corruptis necessariò pereunte, in materia vacuum detur. Et quia *iuxta Eminent. Cardin. de Lugo de Incarn. diff. 11. sect. 7. n. 75.* proprius vniōnis conceptus est, vt duo extrema distincta mutuò in ordine ad inseparabilitatem alligentur, & ex utroq; aliquod verè vnu resultet; hinc cum ex vna parte forma substantialis tamdiu suâ materia intimè præsens, ac connaturaliter indissolubilis maneat, quamdiu eius dispositiones, iuxta Naturæ institutionem sufficientes, nō destruuntur, à quibus *iuxta Vag. Tom. 1. in 1. p. diff. 43. n. 2.* aliquo modo conseruantur; ex altera verò parte materia & forma substantialis per suam essentiam sint talia, vt faciant vnum per se, ad saluandum vniōnis conceptum nullo modo superaddito opus erit.

ASSERO 11. Formam substantialiæ in materia, pro se perfectè præparatâ, nec diuinitus existere posse, quin ipsi vniatur; & hoc quidem eodem iure ac fundamento, quo *Arr. loc. cit. sect. 4. n. 121.* eductionem vniōnis ex uno tantum extremo, & *Suar. diff. 13. metaph. sect. 9. a. n. 5.* *Rub. 1. phys. tr. 2. q. 6. a. n. 61.* *Conimbr. 2. de Ani. c. I. q. 2. art. 2. ad 1.* eductionem sine vniōne, ac *Faf. Tann. Amicu. Albert. loc. citt.* partium homogenearum contigitatem negant, dum hanc vniōnis, eductionis & homogeneitatis naturam ac quidditatem esse dicunt. Quòd si verò forma à materia loco diffusa esse ponatur, exinde compositum facere non poterit, quòd intima præsentia, tamquam conditio ad causam intrinsecam essentialiter requisita, desit; sic enim nec in Modistarum sententia ex defectu huius præsentiae vno copulatiua produci, nec iuxta alios partium homogenearum continuatio fieri, nec sine præsentia obiectiuā bonitas finalis vlo modo appetitum mouere potest.

ASSERO 12. si DEVS eidem numero materiæ, iam sufficienter pro certa forma dispositæ, tres simul illius speciei formas creatas infunderet, nullam præ reliquis ad informantum determinans, sed naturæ cursum relietur, tunc nulla ex illis materiæ tali vniiretur: quia ex parte dispositionum non est magis determinatio ad vnam, quam ad aliam; ex parte verò formarum vna alteram naturaliter impedit, cum nulla magis quam altera ad vniōnem faciendam sit determinata, & omnes tres simul materiam naturaliter ob eius incapacitatem informare nequeant. Idem in hoc casu & Modistas dicere oporteret: nam iuxta ipsos quoq; nec tres vniōnes, quibus tres illæ formæ vni numero materiæ copularentur, naturaliter producerentur; nec vna sola vnam tantum ex illis formis coniungendam respiciens, cum nulla magis quam alia ad compositum faciendum determinata esse ponatur. Sic iuxta sententiam *Suar. diff. 22. metaph. sect. 4. Mend. diff. 10. phys. sect. 4. Arr. ibid. sect. 2.* & aliorum, qui determinationem ad individuum effectum à DEO fieri docent, causa innumerous effectus producere potens, passio eorumdem receptio proximè applicata, nullum reipsa actuaret, si DEVS nullum determinaret.

ASSERO 13. si materia iam sit substantialiter informata, etiamsi alia eiusdem speciei

specie formæ illi intimè præsens fieret, naturaliter ei vñiri non posset, propter impedimentum alterius formæ, iam totam illius materiae intensuam capacitatem occupantis; sicut nec Modistæ in tali casu rogati, cur noua vñio ad illam formam terminata nō producatur? aliam causam dare possunt. Sed si DEVS è tali materia actuata per potentiam obedientialem educeret aliam formam, sive eiusdem sive diuersæ speciei, eam necessariò illi materiae vñiri oporteret; licet etiā à dispositionibus ad vñitionem tūc non determinaretur, ex naturatamen eductionis id haberet, vt sicut hæc sine vñitione fieri inequit, ita nec DEVS velle possit, vt forma educatur, & non eoipso vniatur; quod in eductione accidentium sibi valde probabile videri etiam *Onie. controu. 4. phys. pun. 1. n. 28.* affirmat, & de modorum eductione vniuersim Modistæ tenent, etiam illi, qui modos diuinitus creari posse concedunt, inter quos *Onie. loc. cit. pun. 3. n. 3.* admittit vñionem creatam possibilem, quæ in nullo sit subiecto.

ASSERO 14. si subiecto informi, & non disposito, diuinitus forma substantialis creatiæ producta infunderetur, hæc illi connaturaliter non vñiretur, eo quod suam naturale determinatiuum ad informationem & receptionem faciendam non haberent; velut nec ex eodem defectu vñio realiter distincta secundum Modistas in hoc casu produceretur, nec ex omnium sententia actio inter agens & passum, intimè præsentia, fieret, si DEVS concurrere nollet, vel iuxta multos indiuiduum actus non determinaret. Quod si subinde DEVS informationem fieri vellet, vel dispositiones connaturaliter debitas in materia actuare, vel aliquam qualitatem, illarum loco formæ & materiae determinatiuum, supernaturaliter producere deberet: ad eiusmodi namque Diuinæ extraordinarie potentia ordinaciones saluandas, extraordinaria quoq; principia determinatiua assignare oportet, cum multa DEVS ex absoluto rerum omnium dominio operari possit, ac soleat, quæ Naturæ vim ac finem operatiuum excedunt. Sic *Onie. contr. 6. de Ani. pun. 1. n. 33.* asserit, si DEVS actum vitalem se solo producere yeller, deberet id per actionem ab eo realiter distinctam facere, licet naturaliter seipso à sua potentia prodeat.

ASSERO 15. valde probabile videri, posse formam & materiam ex non vñitis transire ad esse vñitum, absque eo vt DEVS dispositiones, vel vice earum qualitatem determinatiuum, aut aliam physicam entitatem producat, solum volendo, vt illa duo tunc actu per potentiam obedientialem compositum, ab vtroq; eorum seorsim sumpto realiter distinctum, constituant, quod prius, conformiter cursui naturæ, ab ijs constitui solebat, eo quod esse iuxta *Aristot. 2. Cat. tex. 15.* sit propter operari, forma autem suam operationem in materia indisposita naturaliter habere nequeat; velut ab æterno de eodem numero ente vt possibili simplicis complacentiæ, seu approbationis, vt absolute non futuro efficaci intentionis voluntatem habuit, vt tradit *Gran. 1. p. 19. 22. tr. 2. diff. 4. absq; eo*, vt tunc vlla physica ex parte obiecti intercederet mutatio. ita ex Modistis grauissimi TT. *Ruy de Volunt. DEI diff. 12. sedl. 2. n. 2. & diff. 53. sedl. 2. n. 5. Snar. lib. 7. de Grat. c. 23.* (cum sententiam tamquam Seriorem etiam Eminent. Card. de Lugo diff. 7. de Panit. sedl. 8. n. 124. supponit, & sedl. 9. n. 148. explicat, quodnam obiectum Voluntas DEI in illo casu habeat) *Tann. Tom. 2. diff. 6. q. 5. n. 79. Con. de Panit. diff. 2. dub. 10. n. 93. cum pluribus alijs apud ipsos sit. nouum in DEO decretum sine physica obiecti mutatione dari posse docent.* Et licet hi DD. ibi in materia morali loquantur, paritas tamen in eo est, quod idem homo physicæ immutatus prius reipsa habuerit obligationem æterni reatus, & postea illam reipsa non habeat; & in nostro casu non sit aliquid nouum physicum productiuæ, sed tantum copulatiuæ.

ASSERO 16. Sicut *Suar. disp. 15. metaph. sect. 6. n. 10.* notat vniōnem varie accepi, ita perinde ut vniuersim in causis aliud est vis causandi, & aliud causalitas, illa quoque in vim vnitiam, & actualem vniōnem distinguenda videtur: non enim minus Materialis ac Formalis, quam Efficiens ac Finalis inter causas physicas numerari debent, secūs ac RR. quidam contra communissimam sentiunt philosophiam. Vis vnitia tota intrinsecā est, & adaequatē identificata materiæ ac formæ, sita in eo, quod illa ex sua essentia sit entitas *informabilis*, hæc verò *informatiua*; actualis autem vnitio non habetur, nisi conditiones ac determinationes prærequisitæ ponantur: velut duo Angeli loco dissiti potentiam & intrinsecam aptitudinem habent ad actualem præsentiarum relationem, quam tamen re ipsa non constituunt, nisi præsupposita approximatione, licet hæc non sit ipsa formalis relatio, sed tantum aliquid præsuppositum, ut ratio fundandi illius relationis, nempe idem vtriusq[ue] vbi, haberiposit.

ASSERO 17. Hinc fieri, quod licet compositi essentia intrinsecè constitutiua nihil aliud sit quam materia & forma, ab his tamen secundum se præcisè, aut seorsim sumptis actuale compositum non causetur, cum ut sic tantum vim vnitiam, non formalem habeant vniōnem: nec enim qui re ipsa compositum cognoscit, materiam & formam ut separatis existentes, sed ut iuxta connaturalem earum causandi rationem intime præsentes, ac determinatas attingit; sicut qui cognoscit mare, non multas aquæ partes ut inter se disuntas, sed ut in unum locum confusas apprehendit, illæ enim non actu, sed tantum potentia sunt mare. In hunc modum ex Modistis *Mend. disp. 16. phys. 9. 36. arra. disp. 6. phys. sect. 2. Orie. controu. 8. metaph. pun. 2. n. II.* de figura loquantur, quam illi duo ab vocationibus, hic verò ab vniōne partium non distinguunt: et si namq[ue] cōcedant in trunco nondum pro statua elaborato iam omnes partes realiter distinctas, & eo spatio distantes, quo post elaborationem figuram formaliter constituant, haberi, negant tamen eas ut sic formalem figuræ rationem repræsentare, sed tunc primum re ipsa acquirere, quando certam partium redundantium ablationem, vel certum earum vnitarum ordinem, &c. vt *Orie. addit.*, negationem aliarum partium superunitarum, quæ figuram destruerent, dicunt, siue prout partes certo inter se ordine sunt vnitæ, vel vbiq[ue] sit, licet nec nouum vbi, nec noua vno illis accedat, quando ex uno ligno continuo facies v.g. hominis exsculptitur, cum quævis pars iam prius illam cum altera præsentiam, ac vniōnem secundum se habuerit.

ASSERO 18. Vniōnem quasi effectuè sumptam non esse actionem, quæ aliquid substancialē realiter à sua causa adæquatā distinctum producat, sed tantum esse copulatiuam eorum, quæ ad unum ex actu & potentia constituentum iam sunt determinata, velut visio actio solūm grammaticalis est, nihil de novo producens, sed terminum suum cum potentia visiva obiectuè copulans. Et hæc vnitio eti contingenter fiat, in se tamen accidens prædicamentale non est, non aliter quam sicut existentia v.g. Petri dicitur contingenter actuata, licet ad prædicamentum substancialē spectet; aut sicut materia prima est per accidens officium potentie subiectivæ in hac vel illa determinata forma re ipsa exercere, licet esse potentia subiectivæ sit ipsi essentiale, ac substancialē: sic & vnitio secundum id quod intrinsecā ac in se dicit, est aliquid substancialē, non minus quam corpus organicum à *Suar. disp. 15. metaph. sect. 10. n. 15. Arr. disp. 1. de Ani. sect. 1. Mend. ibid. Orie. controu. 1. de Ani. pun. 1.* prout est altera pars compositi animati, ens substancialē esse dicitur, licet in obliquo accidentia importet.

ASSERO 19. conditiones & determinationes ad vniōnem prærequisitas non esse ipsam formalem vniōnis rationem, perinde ut approximatio & apprehensione non

est ratio formalis efficienter, vel finaliter agendi; nec magis constitutum compositi conceptum ingredi, quā vel ratio organisati conceptum quidditatum substantiæ animatae, vel ablato partium, & negatio superinductarum conceptum figuræ essentialem, quæ duo illius pars intrinsecè constitutiva esse non possunt. Nec uniuersim verum est, illud esse partem rei intrinsecè constitutivam, quo posito illa res ponitur, & quo sublatu collitur; licet enim prædicta essentia ita se habeant, non tamen vicissim omne, quod ita se habet, est prædicatum essentiale; sicut omne materiale est essentia liter diuisibile, non tamen econtra omne diuisibile est essentia liter ens materiale, prout assert. 8. explicatum.

ASSERO 20. quando ad hoc ut compositum fiat, prærequisitum est decretum Divinum, quo vel extrema sue naturæ relinquere, vel obediencialiter eleuare velit, illud non esse ipsam rationem formalem uniuersi, nec loco unionis ponit; sed esse completum causæ, vt ista in actu primo adæquare expedita ad causandum reddatur; sicut voluntas DEI, creaturam ad aliquid, illius natuæ virtuti indebitum, producendum eleuans, non est ipsa causalitas agentis, sed aliquid ad hanc exercendam prærequisitum. Multò minus intelligendum est, quod sit loco formæ compotiti, ut aliqui perperam sibi imaginantur, quasi DEVS per suam voluntatem possit facere v. g. album sine albedine; illud namque decretum non tollit formam componentem, sed tantum ordinat, ut hæc naturali exigentia conformiter, vel disformiter suum constituat effectum.

ASSERO 21. ut ratio generationis in homine saluetur, non opus esse admittere unionem realiter distinctam, quæ per illam producatur, cum teste Suar. loc. *sapra cit.* incertum sit, an non solus DEVS illius causa existat? & ipsa animæ creatio subordinatiæ generatio dici possit, in quantum non sit, nisi materia illius consuetâ prius generationis viâ ad eam recipiendam fuerit disposita, cui si infundatur, nouum cum ea compositum substantiale efficiat; sic etiam anima rationalis subordinatiæ à Rubio corpora, & à Suario heterogenea appellatur, in quantum ex se ad corpus organicum completem constituendum ordinatur. Et certè pater non aliter generans dici potest, quā prout materiam iuxta institutum nature ordinem suppeditat, è qua postea nouum compositum fiat; quod maximè in sententia Mend. *disq. 9. phys. sect. 3. arr. disq. 10. phys. sect. 2. n. 29.* & aliorum verum est, qui docent accidentia nec instrumentaliter productionem entis substancialis effectuè attingere posse.

ASSERO 22. similiter in corruptione hominis non aliquam entitatem substancialem physicè perire, sed tantum in accidentibus, pro composito naturaliter conservando necessarijs, realem fieri destructionem, vt s. Tho. 1. p. q. 76. art. 7. ad 2. disertè docet, ad quam concomitanter etiam sit compotiti substancialis dissolutio; sicut accidentia v. g. picis agglutinativa hanc tamdiu alicui corpori indissolubiliter affixam retinent, dum vel illa destruantur, vel hæc vi auellatur; & quando duo corpora metu vacui vitandi inseparabiliter sibi cohærent, ac posse a illo metu sublatu dissociantur, in ea disiunctione nihil physicè perit, quod formaliter illam inseparabilem cohærentiam constituebat. Sic cum substancia corporis Christi à speciebus consecratis separatur, definit ibi esse, sed non entitatiè corruptitur; & in divisione quantitatis iuxta omnium sententiam nihil physicè perit, quod sit entitatiè quantum, licet continuitas quantitatis per eam destrui dicatur.

ASSERO 23. aliud esse entitatem aliquam, & aliud eius tantum exercitum formale destrui, sicut aliud est globum perire, & aliud eius formalem cum plano contactū;

ita &

ita & materiam vel formam perire diuersum est ab eo, ac quoad actualem vnitatem seu copulationem destrui: prior enim destructio est rei absolute in se spectata, posterior vero est illius secundum esse respectuum actuale considerata, quod ad mutationem tantum alicuius extrinseci, vel sui termini perire, & suam denominationem a qualcum amittere potest, vt assert. 6. & 7. probauimus. Et hoc ipsum illi quoq; Modistæ, qui durationem ab existentia rei realiter distinctam, & qui similiter vnitatem continuatam negant, assere debent, inter quos Paf. loc. cit. in terminis docet, in divisione homogenei nullam ipsius entitatem physicæ perire, sed tantum negationem divisionis desinere; vnde consequens est, quod in adgeneratione hominis non detur uno realiter distincta, alimentum cum alito continuans, adeoque nec uno destruatur, si subinde calore naturali pars adgenerata rursum decadat. Et hinc

ASSERO 24. quando dicitur illa realiter adæquate, vel inadæquate distingui, quæ realiter à se iauicem separari possunt, id tantum de esse rei absoluto, non respectu intelligendum: cum enim hoc in suo subiecto ad positionem alicuius extrinseci ita resultet, vt illud physicæ non mutet, sic etiam sublatio ille extrinseco esse respectuum actuale tollitur absque eo, vt aliquid realiter distinctum in subiecto pereat. Nec par est ratio cum formalitatibus metaphysicis substantialibus absolutis, quæ totum suum esse iudependenter a coexistentia alicuius extrinseci habent, cuiusmodi est gradus substantialis corporis, viuentis &c. adeoque perire nequeunt, nisi tota illorum entitas physica destruatur; & cū formalitatibus metaphysicis accidentalibus respectu, vt est relatio, similitus, duratio &c. quorum esse formale primum ex positione termini actuatur.

Actio & Passio.

Modus est Suar. diff. 18. sect. 10. n. 8. & diff. 20. sect. 5. n. 15. Rub. 2. phys. tr. 4. q. 1. n. 10. Murc. diff. 4. phys. q. 12. Arr. diff. 9. phys. sect. 3. Mend. diff. 11. phys. sect. 2. Compl. diff. 17. phys. q. 2. n. 13. Ouse. contr. 12. phys. pun. 1. & RR. communiter. Sed rursus in explicando inter se dissident: nam actionem ad substantialiam terminatam volunt esse substantialiem Suar. diff. 4. 8. sect. 1. n. 5. Albert. 2. princ. philos. assert. 3. n. 11. similiter & creationem modum substantialem esse tenet cum multis Suar. diff. 20. sect. 5. n. 27. & 28. Bcc. 1. p. tr. 1. c. 18. n. 7. Alij vero omnem actionem in uno accidentis prædicamento ponunt: & quia creationi repugnat esse in subiecto inhesionis, & tamen est accidens, quod ex sua natura inesse subiecto petit, hinc Murc. loc. cit. q. 15. arr. loc. cit. sect. 4. n. 38. & quidam RR. eam in termino suo, tamquam in subiecto adhesionis, esse dicunt.

Realiter ab extremis non distinguunt, aristot. 3. phys. tex. 4. & 22. ac 5. metaph. tex. 25. s. Tho. 1. p. q. 28. art. 3. ad 1. & 41. art. 1. ad 2. Fons. 5. metaph. c. 2. q. 13. sect. 2. & 3. Perer. 1. 13. phys. c. 9. q. 10. Tol. 3. phys. c. 4. q. 2. Smig. diff. II. Log. Eck. cum Nominalib. 3. phys. q. 2. tor. 4. Consmbr. 3. phys. c. 2. q. 2. art. 2. & b. 3. Tho. Alessand. Auerr. Themist. & Nomim. pro se adducunt. VVading. loc. cit. dub. 3. & testibus mend. ac. Arr. loc. cit. omnes ij, qui vnitatem realiter distinctam negant; itēmque illi, qui creationem cum 3. Tho. 1. p. q. 45. a. 3. a. re creata vel creante entitatiū differe nolunt: (idem namque & de eductione dici posse ex Modistis Arr. loc. cit. Rayn. theol. nat. diff. 8. n. 12. obseruant) cuiusmodi est Scot. in 2. diff. 1. q. 5. Vsq. Tom. 2. in 1. p. diff. 173. o. 3. Val. 1. p. diff. 3. q. 2. pun. 1. Fons. loc. cit. & plures, vt Mend. diff. 12. phys. sect. 2. q. 7. Valentia sententiam satis communem esse testetur. Sed & hi DD. inter se discrepant: Scotus enim Val. & Fons. causalitatem hanc cum efficiente, aliij cum termino identificant.

ASSERO 25. Actionem & Passionem formaliter nihil aliud esse , quam dependentiam termini ab agente & passo, illi realiter identificatam; velut & *Ouse. loc. cit. n. 7.* docet, de conceptu quidditatiuo actionis & passionis non esse, à suo termino realiter distingui, eo quod possit esse terminus, qui per seipsum à principio actiuo & passiuo dependeat; sed tantum requirere, vt actio & passio sint respectus ad principium actuum & passuum. Vnde *Arr. loc. cit. & disp. 6. de ani. sect. 2. n. 29.* admittit, si daretur esse-
tus , qui nonnisi ab vnicā causa prodire posset, enī sine actione mediā producendum; ob quam etiam causā *Mure. disp. 4. phys. c. 12. relationem, subsistentiam, & alios modos,* & *Mas. in Log. q. 4. de proprio* physicas proprietates, & *Ouse. contr. 6. de ani. pun. I. n. 19.* cum multis actus vitales seipſis à sua causa procedere affirmat, vbi actionem passionem & vniōnem cum actu vitali, tamquam qualitate absoluta, identificari ait. Id quod nos vniuersim de omni causalitate Efficientis tenendum censemus, iuxta commune Philosophorum proloquium, quo absolute dicunt actionem identificari cum termino. quod si ne aliquā verborum violentiā non applicatur, si dicatur illā identificatione tantum strictè realem distinctionem negari, sic namque etiam cum agente & passo identifica-
tam dici oporteret, & omnes vniuersim modos cum suis modificatis.

ASSERO 26. licet tam causa ex se habeat indifferentiam , vt hunc vel illum effectum producat; quam effectus ex se sit indifferens, vt ab hac vel illa causa prodeat: posita tamen causa, in actu primo ad agere in completa, debitā applicatione ad pas-
sum, itidem in actu primo adaequatē dispositum ad patientium, & factū à DEO determinatione, vt hic numero effectus, & non alijs ab ipsis tunc actuetur, non potest illa causa non agere, & hoc passum non pati istum effectum, ergo non opus est modo intermedio, qui indifferentiam causā & effectū in actu secundo tollat, cū illa non possit non pro-
dire in actu secundum, & quidem determinatum ; nec antē actu influentis causā rationem formalem habeat, quām eius effectus actu ponatur, sicut RR. hodie communiter cum *Aristot. 2. phys. sex. 37.* causam in actu cum suo causato simul naturā esse docent. Sic licet actus vitales nonnisi à sua potentia produci posse ponantur, tamen quiuis in-
trinsicè est indifferens, vt iam actuetur, vel non actuetur; posito autem decreto Di-
uino aliquem determinante, iste sine alio actionis modo per seipsum prodibit.

ASSERO 27. cum necessitas actionis modalis solummodo in mutua causē & ef-
fectū ad se inuicem indifferentia constituantur, consequens esse, vt actio saltem respectu DEI non sit modus, eum impliceat vllum causari effectum, qui non immediate quoad suum esse à DEO dependeat. adeoque nulla inter hunc & illum sit indifferentia. Nec ista inde euincitur, quod DEVS possit rem aliquam creare & educere, rursus vel se solo, vel cum creatura simul actuare: nam quoad prius, sunt aliqua entia, v. g. materia prima, Angelus, & iuxta multos etiam anima rationalis, quæ DEVS educere nequit; & vicissim modi iuxta aliquos Modistas creari non possunt, qui tamen iuxta ipsos per actionem distinctam producuntur. Quoad posterius, multi cum s. Tho. I. p. q. 45. art 5. c. & 47.
art. 1. c. q. 65. art. 3. c. q. 90. art. 3. c. q. 104. art. 2. ad 1. & 3. creaturam ad aliquid crean-
dum à DEO attimi posse negant. Et licet vtrumq; concederetur, saltem res vt lecun-
dum naturę cursum producenda iuxta multos Modistas, *Vasq. Tom. I. in 3. p. disp. 74.*
c. 8. Mone. disp. 9. c. 12. Mure. 2 phys. disp. 4. q. 8. Et alios ex natura rei determinata est, vt in talibus circumstantijs ab hac numero causa, & non ab alia actuetur, vt adeo naturali-
ter iuxta hos modo actionis opus non sit; quod si vero ponatur diuinus statui, vt ab a-
lio agente, & alia ratione sibi naturaliter non debitā producatur, tunc sicut sola volun-
tas

tas extrinseca, iuxta communem extra scholam Thomistarum doctrinam, creaturam, ex se ad exercitium potentiae obedientialis intrinsecè indifferentem, determinare potest, ac eleuare, vt debeat ad aliquid sibi non connaturale actuandum concurrere; ita pari modo eius ad causandum indifferentiam sufficienter determinare poterit, vt inde seipsa in rem producendam influere queat.

ASSERO 28. Actionem Eductiūam & Passionem nonnisi formaliter inter se dif-
ferre, vt habetur 3 phys. sex. 20. & vtramque ipsi termino inesse: qui prout dicit motum
seu dependentiam sui ab hoc, Actionem, & acceptancem sui in hoc, Passionem impor-
tat, vt Aristot. loc. cit. sex. 22. loquitur. Quod autem actio subiectuè non sit in agente
ibid. sex. 18. asseritur, ibi vocatur actus agentis existens in mobili: cum enim vniuer-
sim motus non sit in termino à quo, sed in termino ad quem, etiam actio, quæ rationem
motus habet, non in agente tamquam termino à quo, sed in effectu velut termino ad
quem erit; maximè cum sit id, quo effectus suam accipit existentiam, conueniens est, vt
illi intrinsecè insit. Vnde consequens est, quod A. Eductiūa nec passo immediatè in-
existere dicenda sit, velut 9. metaph. sex. 16. Philolophus disertè ait esse in eo, quod ef-
ficitur, sicut & actio Creatiūa in suo estermino; à qua Eductiūa in eo solùm distingui-
guitur, quod illius terminus nonnisi intrinsecè concurrente causā materiali, eum per
suam entitatem sustentante, ac cum ipso compositum faciente, fieri possit.

ASSERO 29. omnem Actionem cr̄. 3 ad vnum summum accidentium genus
pertinere, non minus quam omnia vbi de vi. sunt prædicamento; nec ita à suo termi-
no specificari, quasi eiusdem cum illo generis esse habeat, aliàs productio qualitatis
etiam ad qualitatem, & quantitatis ad quantitatem spectaret, & sic actio aliquid trans-
cendens foret, nec proprium genus constitueret: sed quod vbi sunt diuersi specie effe-
ctus, ibi quoque eorum actiones inter se specie differant, perinde vt communiter rela-
tio pro specifica subiecti, aut termini diuersitate specie quoq; variari docetur; id quod
in hac sententia, actionem cuius termino identificante, clarum est. Nec actio quiddita-
tiūm substantiæ, vel rei secundūm se conceptum ingreditur, cum tantum formaliter
ad actuandam eius existentiam terminetur, quæ essentiæ creatæ est contingens, nō item
Increatae, vnde actiones in Diuinis essentiales esse dicuntur, ac substanciales.

ASSERO 30. quando eadem numero res è creata transit in educitam, vel vicissim,
vti sit in quantitate Eucharistica, id in duplēcē istius potentiam, naturalem scilicet
ac obedientiale, iuxta quam duplēci quoque decreto Diuino substat, esse referen-
dum, quia iuxta eam duas etiam vias habet, quibus siūm esse accipere possit: vnde si
DEVS velit quantitatem modo ipsi connaturalē existere, tunc eius decretum fertur in
materiam determinandam, vt illam subiectuè effundat, atque conseruet; quod si vero
supra naturæ ordinem eam actuare intendant, tunc illam annihilat, vel semotam mate-
riā scipio conseruare, & exigentiam naturæ suspendere decernit: vnde eadem res iux-
ta ea, quæ in diuerso statu inuoluit, diuersum DEI decretum fundare potest. Sic DEVS
velle potest, vt duo corpora modò habeant, modò non habeant actualem sui penetra-
bilitatem, absque eo, vt aliquid ipsis intrinsecum physicè mutet. Similiter quando
effectus à Causa prima & secunda simul productus, ab illa sola dein conservatur, decer-
nit DEVS rem conformiter suę naturę actuare, quæ est, vt in prima sui esse acceptione
ab Increato & creato agente simul, & in eiusdem continuatione ab illo solo dependeat.

Inhæsio.

Distinctū ab actione & vniōne modū agnoscere videtur shar. diff. 34. met. sect. 4.

¶ 2.5. & clavius Tom. 3. in 3. p. disp. 5. 6. sect. 2. vbi accidenti separato proprium perfectitatis modum attribuit; quem etiam Val. q. Tom. 2. in 1. p. disp. 2. 14. c. 4. & Murc. 2. phys. disp. 3. q. 10. ac ipso teste plures TT. admittant; & substantiale quidem Caetanus apud Val. Tom. 4. disp. 6. q. 5. pun. 1. & huius ipsum refutat.

Ab eductiva actione illam non distinguunt Albert. de Predic. quant. disp. 1. q. 3. Mend. disp. 5. phys. sect. 3. ad 1. Orie. controu. 3. de Ani. pun. 4. n. 5. si dicitur substantia est existentia accidentium identificari volunt. Compl. disp. 11. Log. q. 8. dub. 3. cum Masto & pluribus Thomistis. Greg. in 1. disp. 28. q. 2. ad 15. & omnes illi, qui unionem actionemq; realiter distinctam negant.

ASSERO 31. in hæsionem esse quendam respectu transcendentalem formæ accidentali identificatum, quem ex sua natura habet ad substantiam; non situm præcisè in eo, quod essentialiter est subiecto educi petat, vel quod naturaliter existere nequeat, quin sit in subiecto; aut quod diuinitus creatum adhuc subiecto vniuersitate exigat, hæc enim omnia etiam formis substantialibus materialibus conueniunt: sed in eo, quod accidentis sit ens, seu tale, quod non est prima cæterorum radix, per se primò à Natura intenta, sed huic primum superuenit, eique inesse petit. Vnde siue accidentis educatur, siue creetur, nec subiecto vniatur, sicut suam semper retinet essentiam, ita hunc respectum transcendentalem semper coniunctum habet: semper enim verum est, quod sit ens ad ad primam rerum radicem ex se ordinatum, eique superueniens inesse petat, cum hoc tamen discrimine, quod eductum habeat in hæsionem actualē, extra subiectum vero conservatū tantum exigentiam, quæ ipsi est essentialis. Et hinc cum eductio accidentis illud necessarij reipsa subiecto inesse, creatio vero ex se non inesse faciat, nec in illa quo in hærentia, nec in ista perfectione realiter distincto modo est opus. Sic ne forma substantialis materialis creata nouum independentiā subiecto modum substantiale, à creatione realiter diversum acquirit, qualēm Murc. loc. cit. illi concedit.

Subsistētia.

Hanc duas tantum negationes dependentia ab alio naturæ superaddere. Secundum scilicet cum suo Magistro in 3. disp. 1. q. 1. docent.

Suppositum formaliter & intrinsecè ab existentia substantiali constitui, frequenter suo tempore TT. sensisse testatur Suar. disp. 34. sect. 4. n. 8. id quoque etiam Fons. 3. metaph. c. 8. q. 5. sect. 2. & 10. assert. & Dur. in 1. disp. 24. q. 1. n. 5. in eo distinguit, quod natura in abstracto, & suppositum in concreto significetur.

Modum substantialis esse tradunt Suar. loc. cit. n. 33. Murc. in 1. phys. disp. 6. q. 3. Rub. in 1. phys. tr. 1. q. 4. & RR. communiter.

Absolutam entitatem substantialis esse volunt. Val. Tom. 4. disp. 1. q. 4. pun. 2. Albert. de predic. subst. disp. 3. q. 7. Mend. disp. 11. metaph. sect. 5. n. 41. arr. disp. 4. metaph. sect. 12. qui plures alios proferunt. & Albert. loc. cit. ac Cabreræ apud Tann. Tom. 4. disp. 1. q. 3. dub. 8. n. 294. communem hominum esse testantur, in quam etiam Orie. controu. 4. metaph. pun. 1. n. 6. inclinat.

ASSERO 32. Subsistētiam tamquam rem absolutam à substantia distinguiri, ab ea que diuinitus separari posse, ut ex mysterio Dominicæ Incarnationis patet, in qua natura humana Christi propriâ substantiâ, ne emanaret, impedita, per increatam Verbi Diuini terminabatur. Est connaturale substantiæ complementum; unde sicut hec in comple-

completam & incompletam, seu totalem & partialē diuiditur, ita duas quoque substantias, suis substantijs commensuratas admittendas esse censemus: id quod inde convincitur; quia in triduo mortis anima & corpus Christi, etiam dum separatim existent, hypostasi Diuinæ vnta manebant, cum tamen ex cōmuni TT. nihil alienæ substantiæ sit capax, cui ex se propria non competit. Licet autem suppositum & personalitas in re idem significant quod substantia, illa tamen duo de incompletis substantijs dici non possunt, eo quod ex communī vocū vsu tantum de completis intelligantur; & personæ quidem appellatio iuxta definitionem Boëthij libr. de duab. Nat. soli substantiæ rationali competit; sic & S. Tho. r. p. q. 29. art. 3. ad 2. & 3. vocem personæ ac hypostasis quoad rem, non tamen quoad originem DEO conuenire docet.

Figura.

Absolutam vocat qualitatem Albert. de predic. quant. disp. 3. q. 1. n. 9.

Modalem faciunt Suar. disp. 42. sed. 3. Rub. 2. phys. c. 1. q. 4. n. 43. Murc. exp. de qualit. in Log. q. 5. Mend. disp. 14. phys. q. 36. Arr. disp. 6. phys. sed. 2. Ouse. controu. 8. metaph. pun. 2. n. 11. & RR. communiter. In eo tamen differunt, quod Mend. & Arr. ab Obicationibus partium, & Ouse. ab eorum Unionibus figuram non distinguant; Suar. vero Rub. & Murc. specialem, ab eis & Unione diversum modum admittant, qui ex terminacione quantitatis resultet.

Identificatam cum suo subiecto assertunt. Pever. lib. 7. phys. c. 3. Smig. disp. 11. Log. q. de situ. Eck. 2. phys. c. 2. art. 3. Ebi plures citat, & communem Nominaliū esse affirmat, quod etiam Valde probabile censem Coniunct. in c. 8. de qualit. q. 2. art. 2. & arr. loc. cit. eam à partibus & Obicationibus rei artificiosae realiter distinguere, improbabile esse ait.

ASSERO 33. figuram nihil esse aliud, quam ipsam rei, iuxta artis dictamina ita preparatam entitatem, ut certam aliquam formam repræsentet, quæ resultat, dum artifex in subiectam materiam agit, aliquas illius partes deprimendo, alias eleuando, hinc auferendo, illinc addendo, aliisque similibus motibus in eam operando, prout 1. phys. sex. 63. habetur: perinde: ut aliqua propositiones, secundum regulas Logicas coordinatae, figuram syllogisticam induant artificiale, præcisè ex eo, quod iuxta artis illius præcepta sint constructæ, quam nemo ab ijs modaliter distinguui dixerit: nam motus, quem artifex in suo obiecto producit, entitatiū est naturalis, & tantum denominatiū respectu habitū acquisiti, ex cuius directione procedit, rationem artificialis acquirit; velut visio perspicilijs facta artificialis dicitur, & sine ijs naturalis. Vnde cum ipsi motui artificis iuxta Modislas non superaddatur modus artificialitatis, sed inde artificialis dicatur, quod ex principio sui directivo artificioso procedat; pari iure nec eius subiecto, quod itidem quoad suam entitatem naturale est, modus exinde adueniet, quod reddatur artificiosa figuratum, quia & hoc ex eo saluari potest, quod illius partes suam coordinationem ex dictamine artis acceperint, quas si Natura vel Casus ita coniunxit, Naturalis ac Fortuita vocaretur.

ASSERO 34. rationem figuræ formalem in unionem partium reduci non posse, cum ens figuratum ex meris discontinuis partibus oriiri possit, velut in pictura patet, cuius colores heterogenei inter se non continuantur, & statua sine partium unionione colligi potest. Nec meras esse partium figuratarum vocationes, haec namq. ex sua natura sunt formæ rei spatio commensurantes, qualem cōmensurationem nullo modo artifex inten-

intendit, nec tale quid, quod ad quamvis loci mutationem numero varietur, ut plane gratis contraria opinio afferit. Et verò cum ubicatio Mend. diff. 14. phys. scđ. 2. nihil aliud sit, quam ratio formalis existendi in loco, quomodo figura cœli empyrei, quod ex communis cum Aristot. 4. phys. tex. 45. in loco non est, ex illius ubicationibus conflatur similiter cum Arr. diff. 14. phys. scđ. 2. n. 49. dicat ubi esse accidens perfectum, seu ab solutum, cur DEVS nequeat facere corpus omni ubicatione carens? velut Ouse. diff. 15. phys. pun. 7. n. 1. cum Vasq. & Moncas admissit; tale corpus sine ullis ubicationibus esset figuratum.

Vbi.

Inter modos numerant Suar. diff. 51. scđ. 1. n. 14. Mend. diff. 14. phys. scđ. 2. n. 7. Oviedo contr. 15. phys. pun. 4. n. 3. Vall. in Log. hic c. 2. Murc. in 4. phys. diff. 1. q. 4. (ubi notat quosdam illud ab extensione quantitatiā non distinguere) & R.R. communiter.

Accidentibus absolutis accenset Arr. loc. cit. & talem ubicationem possibilem iudicat Ouse. controu. 4. metaph. pun. 6. n. 6.

Realiter à suo subiecto differre negant, Aristot. 8. phys. tex. 59. S. Tho. I. p. q. 110. art. 3. c. & 2. cont. Gen. c. 13. Fons. 5. metaph. c. 15. q. 9. scđ. 6. ad 2. Smig. diff. II. Log. q. de vbi. Eck. 4. phys. q. 1. dub. 2. & 4. ad fin. & apud ipsum 3. phys. q. 2. art. 1. Ockam cum suis, Faf. I. p. q. 10. art. 2. dub. 2. n. 24. Amicus Tom. 2. in I. p. diff. 5. scđ. 2. n. 43. Con. de Sacram q. 75. art. 3. & apud Ami. loc. cit. n. 36. ac Tann. Tom. I. diff. 5. q. 2. dub. 3. n. 6. Dur. Bonau. Seof. Gabr. Arimin. Marfil. qui angelum immediate per suam substantiam in loco esse docent; id quod pariter de corpore dici posse Fons. loc. cit. affirmat. Hanc opinionem aliquos modernos probabiliter sequi, eamque Soto & Alberto M. attribui Albert. de predic. Vbi q. 5. n. 1. & 4. refatur.

ASSERO 34. cum aliquid in hoc spatio de novo productum, vel illuc ex quaenq; agentis directione delatum, eo ipso, quāvis aliā entitate remotā, non possit non esse illi spatio præsens, perinde vt duæ res existentes non possunt non habere aliquam ad se mutuo relationem, hinc ubicationem à suo subiecto realiter distinguendi nulla ratio virget; sed est ipsa subiecti entitas, non quidem præcisè secundum se sumpta, sed prout respicit spatiū, cui coëxistit, conformiter verbis S. Tho. loc. cit. vbi ait: mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed tantum ad aliquid extrinsecū. Et altero loco: aliquando ab eo aliquid denominatur, quod est extra ipsum, & à loco dicitur aliquid esse alicubi; velut etiam à ueste circumposita aliquid, sine intrinseca sui mutatione, vestiti denominationem acquirit. Et hinc res quilibet ab altera realiter distincta proprium sibi identificatum vbi habet: quidquid enim existit, inquit Phys. 4. phys. tex. 1. alicubi esse censemus. Nec verò ipsum vbi mera est relatio præsentia, sed hæc illud, tamquam suam rationem fundandi (quam ab extremitate non debere esse realiter distinctam ex 2. & 3. genere fundandi patet) presupponit.

ASSERO 35. licet spatium & mobile secundum se sint indifferentia, vt sibi coëxstant, ea tamen indifferentia sufficienter tollitur per ipsius agentis determinationem, potius ad hoc quam ad aliud spatiū mobile dirigentis: si namq; huic impulsus aliquis delatiuus imprimatur, seu ab extrinseco, seu ab intrinseco (qualem etiam Arr. diff. 4. de Gener. scđ. 5. n. 110. admittit) ille proueniat, non potest mobile vt sic amplius esse indiferens, vt ad hoc vel illud spatiū applicetur, sed impulsus ex sua natura, vel extrinsecā quādam ordinatione certum locum respicientis delationem sequi debet. Et vero

verò impulsus iste est tantum mobilis adductius, non nouæ entitatis productius, solum enim duo entia absoluta sibi coniungit, velut intellectio obiectum suæ potentiae intentionaliter applicat: cur etenim tot entia multiplicari oporteat, ut dicas in praetatis actione mediâ produci impulsum, ab hoc nouam actionem localem, & ab ista vbi tamquam nouum modum causari? maximè cum etiam detur vbi consistentes, quod per motum localem produci nequit; nec dici possit, quæ causa sit vbi consistentis productua, quando mobile in loco violento quiescit, nisi ad DEVVM solum, asylo minus philosophico, configere velis.

ASSERO 36. quando *s.phys.-tex* 9. dicitur, quod detur motus per se, seu successus ad vbi, non esse intelligendum, quasi vbi sit entitas aliqua ex se successiva, quæ illo motu producatur, vt ex vbi quiescente clarum est; sed quod in applicatione mobilis corporei ad spatum successio habeatur, dum vna illius pars post aliam partibus spatij, nec totum simul admoueri potest; mobile verò incorporeum omnibus partibus spatij simul applicari nequit. Sic & ad augmentationem motum per se dari ibidem docetur, & tamen hæc formaliter sumpea nihil successivè producit, Et docet *Arr. diss. 2. de Gener. sect. 3. Mend. ibid. diss. 3. sect. 3. q. 25.* sed tantum vnam post alteram partem alimenti cum alito continuat, cum viuens debitam sibi magnitudinem totum simul naturaliter acquirere nequeat; quod tamen supernaturaliter fieri posset, viuensque inde adhuc formaliter augmentatum diceretur.

Situs.

Hunc ab vbi realiter indistinctum esse docent, *Conimbr. in Log. c. 9. de situ q. 1. art. 2. Rub. ibid. c. 10. n. 4. Arr. diss. 5. metaph. sect. 3. n. 42. Oui. contr. II. met. n. 2. & plures R. Specialem modum esse volunt *Mure. in Log. c. de situ, & Compl. ibid. diss. 16. q. 5. Vall. c. 1. de vbi.**

Solam quamdā formalitatem suo corpori superaddere tenent *Aristot. s. metaph. c. 19. Smig. & Eck. loc. prox. citt. & à fortiori omnes, qui vbi modale negant, ac Quidam apud Fons. s. metaph. c. 15. q. 7. sect. 4.* docentes prædicamenta Vbi Situs, Quando & Hæbendi idem re cum subiectis esse, tametsi ratione ab ijs differant.

ASSERO 37. Situm secundum id quod terminatiue dicit, ab vbi catione realiter distingui: formaliter enim est certa quædam corporis positio, partes mundi principales respiciens, secundum quam stare, sedere, iacere &c. dicitur, cum tamen vbi per se ratione sua immobilitatis à spatio imaginario dependeat. Vnde sit, vt hoc realiter mutari posset illo adhuc permanente; nam si quis immotus in nave sedens velatur, semper aliud vbi priore destructo acquirit, & tamen eundem numero situm retinet, cum omnia istius constitutiua eodem, quo prius, ordine maneant, adeoque planè gratis semper aliis numero situs, perinde vt aliud numero vbi, subnasci dicatur. Et hinc est quod situs per se in substantia spirituali locum non habeat, licet hæc vbi cationis sit capax; quia existere nequit, quin sit alicubi, nec tamen formaliter partium positionem ad puncta mundi principalia habet. Est ergo situs non nisi quædam formalitas, à suo subiecto tantum ratione distincta, fundata in certo ordine ac positione, quam partes corporis ad centrum vniuersi sortiri possunt.

Habitus.

Modum ab alijs distinctum esse admittunt, *Rub. c. 10. Log. de hab. n. 2. Compl. diss. 16. Log. q. 8. Vall. hic c. 2.*

Cum vocationibus vestis & vestiti identificant, Arr. loc. cit. n. 44. Mure. Log. cap. de hab. & Ouse. loc. cit. n. 3. dum ab approximatione vestis ad subiectum non distingus sit.

Nihil reale modale vestito superaddi tenent Conimbr. loc. proxime cit. q. 3. art. 2. Smig. Eck. & consequenter omnes, qui ubi ac situm modaliter non distinguunt, quos ibidem citantur.

ASSERO 38. cum ratio formalis praedicamenti Habitū in eo consistat, vt id, quod tegere, ornare, & munire aptum est, corpori certā ratione adiaceat, vel circumponatur, re ipsa nihil aliud erit, quam ipsa substantia corporis, prout aliud sui exornatum, vel defensum respicit; unde sicut positio termino, sine aliā reali entitate intermedia, resultat relatio, vt loquitur Aristot. in Log. cap. ad aliquid, ita pari modo circumposita corpori veste, formale huius praedicamenti esse inde exoritur. Nec istud cum vocationibus vestis & vestiti absolute identificatum dici potest, quia si annulus v.g. & vestis homini applicentur, non tamen debita ratione digito ac corpori induantur, easdem vocationes habebunt, nec tamen formaliter annulatum, ac vestitum constituent. Quod si Habitū, Situs, ac Figura non cum vocationibus absolute, sed sub certā ratione consideratis identificari dicatur, tunc Modistæ explicare debent, quomodo illa certa ratio, qua adesse, & abesse potest, non quendam modum specialem importet? aut si eam per diuersam ad extrinseca habitudinem salvare velint, quomodo non parare idem de alijs modis dici possit?

Extensio, Raritas, Densitas.

Extensionem localē ab vocationibus partium non distinguunt, Mend. dissp. 13. metaph. scđt. 4. q. 36. Arr. dissp. 5. metaph. scđt. 1. n. 20. quòd etiam inclinant Compl. dissp. 13. Logiq. 2. n. 21.

Nouum in ea modum agnoscunt Suar. dissp. 40. metaph. scđt. 4. n. 15. Vsq. Tom. 2. ius 1. p. dissp. 2. 14. c. 4. n. 32. Mure. in Log. de Quant. dissp. 1. q. 1. Vall. ibid. c. 9. & RR. communiter.

Cum suo subiecto identificant, Smig. dissp. 9. Log. q. 2. Eck. cum Nomin. 3. phys. q. 2. art. 1. & 6. phys. q. 1. art. 1. not. 4. Fons. 3. metaph. c. 13. q. 1. scđt. 4. ad 3. Perer. 1. 10. phys. c. 6. negans lineam & superficiem à corporeitate realiter distingui. Idemq; consequenter docere deberent, qui omnibus entibus materialibus aliquam extensionem concedunt, nec enim materia v. g. si omnia, qua realiter ab ea distinguuntur, diuinitus auferrentur, statim eo ipso fieret inextensa, vt prater alios tradunt Mend. dissp. 13. metaph. scđt. 5. q. 40. Arr. dissp. 5. metaph. scđt. 1. n. 22. Ouse. controu. 7. metaph. pun. 2. n. 10.

Raritatem & Densitatem modaliter distinguit, Suar. dissp. 42. metaph. scđt. 6. n. 6. Absolutam qualitatem esse volunt Conimbr. 1. de Gener. c. 5. q. 17. art. 1. & 5. Tol. 4. phys. c. 9. q. 11. Rub. c. 8. Log. q. 4. dub. 4. In ipsa maiori vel minori corporum extensione consistere tradit. Arr. dissp. 16. phys. scđt. 10. n. 227. Mure. de Qualit. q. 5. Compl. dissp. 15. Log. q. 5. n. 36. Ouse. contr. 7. de Gener. pun. 4. n. 6. Formaliter in temperamento primarum qualitatum constituit, Mend. dissp. 4. de Gener. scđt. 5. Realiter à suo subiecto non distinguunt Nomin. apud Eck. loc. cit. & apud Arr. ac Ouse. ubi rarefactionem & condensationem per instrunctionem ac exclusionem corpusculorum fieri docent; itemq; ym omnes, qui extensionem à re extensa realiter differre negant.

ASSERO 39. extensionem localē ab ipsa re extensa realiter non differre, sed tantum formaliter, in quantum illa entitas, qua habet intrinsecè partes in ordine ad se, naturaliter existere nequit, quin partibus loci coextendatur; & si diuinitus eā coextensione priuetur, nihil entitatiū ipsi perit, sed tantum partes, quae extra se localiter actuari

actuarū debuissent, iam intra se mutuo supernaturali virtute existunt: perinde ut partēs materie primæ, si DEVS quantitatem ab illis auferret relictā gravitate, ex suo naturali situ ad minimam sui extensionem comprimerentur, nec tamen quidquam de sua entitate perdarent. Et licet prius illarum vbi pereat, hoc tamen non est formaliter idē cum extensio: prius enim naturā est rem esse extensam vel inextensam, quam spatio formaliter coextendi, vel non coextendi possit, è qua coextensione vbi actuale resultat; sicut prius est esse extrema, quam totum. Et hinc cādem rei extensio manente illius vbi variatur, vt adeo cum isto identificari nequeat. Nec specialis quidam modus accidentalis sit, hic namq; vt naturaliter educi posset deberet subiectum extensem seu diuisibile presupponere, cum ex indiuisibili forma diuisibilis actuari nequeat. Par i ratione nec Impenetrabilitas modus est, cum iuxta Arr. diff. 5 metaph. sect. I. n. 14. Mend. diff. 13. metaph. sect. 4. §. 36. sic effectus formalis primarius quantitatis, & formaliter plus non dicat, quam exclusionem alterius entis quanti ex eodem loco, quam vim excludendi quantitas ex seipsa habet, licet diuinitus actualis impeneratio impediri possit.

ASSERO 40. quia iuxta Aristot. & phys. tex. 84. Rarum est, quod sub magnis dimensionibus per se habet materia, & Densum, quod sub paruis dimensionibus multum materia continet: hinc raritas & densitas formaliter nihil est aliud, quam extensio cum respectu ad pariam vel multam materiam; vnde etiā fieri potest, vt inter duas v.g. aquas eamdem extensionem habentes, altera sit formaliter rara, & altera densa. Cum enim Rarefactio & Condensatio iuxta communem sententiam non fiat nisi per motum localis, qui vt plurimum ab extrinseco causari solet, inde sit, vt in ea producatur impulsus parum materie ad magnam extensionem diductius, & multum materia ad pariam dimensionem constrictius; ad quales motus esse formale rari & densi resultat, perinde ut ad impulsum localis vbi realiter indistinctum sequi solet: tali namque impulsu posito formaliter habetur, quod sub pauca materia multum illa res extendatur; & sub multa materia pariam habeat extensionem.

Indiuisibile.

Modalem illi distinctionem attribuunt, Mend. diff. 15. phys. sect. 3. Rub. lsb. 6. phys. n. 25. & ex parte Murc. 6. phys. q. 4. ac Ouseo contro. 17. phys. p. 2. Albert. ex hypothesi, si eas sint admittenda, diff. 3. de pradic. quant. q. 7.

Absolutam entitatem faciunt, suar. diff. 40. sect. 5. Arr. diff. 16. phys. sect. 5. Tol. 6. phys. q. 1. & ex parte Murc. ac Ouse. loc. cit. & RR. communiter.

Realiter distinguī negant, Aristot. 4. phys. tex. 104. 3. Cael. tex. 5. 3. de Ani. tex. 23. 3. metaph. tex. 7. 8. Aug. lib. de quant. Ant. c. 11. & 7. de Gen. ad litt. c. 21. Perer. lib. 10. phys. c. 6. Smig. diff. 9. Log. q. 10. Auerr. 1. Cael. comm. 32. & 1 de Ani. comm. 13. Eck. 6. phys. q. 1. art. 1. & 2. cum Nomin. tens. 5. metaph. c. 13. q. 6 sect. 5. ad 2. cum sententiam non minus quam contrariam assertunt probabilem, atq; admittunt Conimbr. 6. phys. c. 1. q. 1. art. 4. Albert. loc. cit. Tann. 1. p. diff. 2. q. 4. dub. 2. n. 23. subdubie & nā superficem admittit.

ASSERO 41. Indiuisibile in ente materiali nō esse meram negationem ultioris extensionis, etiam si per hanc explicari soleat, perinde ut ynitatem ac finitudinem simili negatione exponimus; sed esse aliquid reale positivum, quod nemine cogitante incontinuo existit, nec enim à mea dependet operatione intellectus, vt locus continueat locatum, & corpus opacum lumen terminet. Interim non est aliquid realiter ab entitate materiali distinctum, aut quā tale ab eo separabile, cum nonnisi formaliter seu commensuratiuē, non entitatē indiuisibilis rationem habeat; sicut enim ex omnium, indi-

uisibilia realiter distincta admittentium, sententia, eadem entitas linea & superficie, secundum unam rationem est indiusibilis, & secundum alteram, priori identificatam, est diuisibilis; ita dici eodem iure potest, quod omne indiusibile secundum rationem entitatiūm sit diuisibile, & secundum commensuratiūm seu designatiūm, quæ cum priori identificatur, indiusibile formaliter fiat, prout optimè Fons loc. cit. explicat. v.g. globus perfectè sphæricus dicitur planum tangere in punto, quia ille contactus secundum nullam dimensionem coextendit plāno; & si ille super hoc moueatur, in eo notu designat lineam, quia sic coextendit plāno secundum longitudinem sine latitudine ac profunditate: interim ille contactus non sit per aliquid à globo realiter distinctum, sed per partem globi plāno proximam, quæ modo explicato indiusibilis rationem exerceat.

Quando seu Duratio.

Arr. diff. I. 5. phys. f. 2. I. n. 2. cum D. Bonau. & quidam R.R. docent, durationem esse quemdam modum à re durante, non minus quam ubi à re ubicata, realiter distinctum, adeoq; naturā suā, perinde ut tempus, cui rem commensurat, fluentem.

Ab existentia rei non distinguit, Fons. 5. metaph. c. 15. q. 10. f. 2. concl. 3. Suar. diff. 5. metaph. f. 2. I. n. 5. Mend. diff. 17. metaph. f. 2. n. 6. Smig. diff. II. Log. 5. Quan- do, Perer. lib. 12. phys. c. 5. propof. 4. amic. Tom. 2. in I. p. diff. 2. n. 22. 4. Faf. I. p. q. 10. art. 1. dub. 2. n. 16. Vbi Scot. Ock. Gabr. Gill. & alios in hanc rem citat. Ouse. contr. 16. phys. pun. I. à n. 16. cum Vag. Mol. Val. à quibus, inquit, sine urgentissima ratione numquam recedere auderem; & tam Antiqui, quam R.R. DD. communisimē.

ASSERO 42. cum implicet rem existere, & non aliquamdiu durare, frustra ab ea realiter distingui ponitur, quod nec diuinus ab illa absit potest; maximè ut tam immanis entium multitudine admittatur, & rei existentia quoquis instanti nouā numero actione, etiam ab eodem agente, conseruari dicatur. Et licet existentia dari possit, quæ tanto tempore non duret, tamen ad tantam vel tantam durationem salutandam plus non requiritur, quam ut existentia tanto vel tanto temporis fluxui commensuretur, quod sit per ipsam æqualis motūs cœlestis coexistentiam: sicut enim posito fundamento & termino non potest non esse relatio, nec ista ante termini positionem habetur, ipsis quoque Aduersarijs consentientibus; ita positā rei existentiā, & tali vel tali temporis fluxu, non potest non esse duratio rei, illi fluxui correspondens, nec ista habebitur ante actualē cœlestis motūs positionem. Licet enim duratio suo subiecto sit intrinseca, (ipsa namque res durare, seu illius existentia continuari dicitur) quia tamen est forma, cuius esse ab aliquo extrinseco dependet, hinc suam actualitatem ante realem termini positionem non habet, vnde res hodie existens non potest dici habere durationem crastinæ diei, quia hæc hodie nondum est, ut ipsi coexistere possit, ex quæ coexistentia durationis formalitas resultat. Et hæc assertio cum tantâ DD. auctoritate nitatur, exinde colliges, quantâ probabilitate pari ratione & viâ Vbi Situs, Figura, Extensio, itēmque intensio ac remissio qualitatum, actuum vitalitas & similes rationes formales sine modo superaddito consequenter explicari, ac defendi possint. Plura de modis in communī dicturis, hæc charta modum statuit, cui acquiescimus.

Ad maiorem DEI Cœlitumque
gloriam.